Q. D. B. V.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

DE

ÆMORRHOIDIBUS SYMPTOMATICIS ET PERNICIOSIS,

QVAM,

AUSPICE DEO PROPITIO,

Et Consensu atque Auctoritate Gratiosæ Facultatis Medicæ

IN ALMA REGIA FRIDERICIANA,

PRÆSIDE

PRORECTORE MAGNIFICO

N. D. MICHAELE ALBERTI,

CR. MAJ. REG. BORUSSIÆ AULICO ET CONSISTORII MAGDEBURG. CONSILIARIO, MEDIC. ET PHILOS. NATURALIS PROFESSORE PUBLICO ORDINARIO, ACAD. NAT. CUR. COLLEGA, SOCIET. REG. BEROL. SCIENT. SODALI, ETC.

FACULTATIS MEDICÆ DECANO SPECTATISSIMO,

Domino Patrono, ac Promotore suo, omni honoris cultu prosequendo,

PRO LICENTIA

SUMMISQVE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS DOCTORALIBUS LEGITIME IMPETRANDIS,

HORIS LOCOQVE CONSVETIS,

ANNO MDCCXXVI. D. AUGUST.

PUBLICAE AC PLACIDAE ERUDITORUM VENTILATIONI SUBJICIET

RESPONDENS

FRIEDERICUS RUDOLPHUS HEIDEGGERUS,

NAUMBURGENS. MISN. ET PRO TEMPORE PRACTICUS LAUCHENSIS.



Halæ Magdeburgicæ, typis Jo. Christiani Hendelii, Acad. Frid. Typograph. 1726.



PROOEMIUM.

PEr deplorandum hominum lapſum univerſa natura ſuam perdidit perfectionem, ob id naturalis vita humana cum fragilitate & corruptibilitate imprægnata & circumducta eſt, & incorruptibilitas ac immortalitas induit corruptibile & mortale, quare in redintegratione naturæ oportet corruptibile hoc induere incorruptibilitatem & mortale immortalitatem. *1. Cor. 15. v. 53. 54.* Etenim in ſtatu integritatis nulla cauſa naturalis æquivoca fuit, ſed ſimplici & ſolitarie bona qualitate erat prædita: *nam vidit DEus omne quod fecit & ecce bonum erat valde Gen. 1. v. ult.* In ipſo homine ſucceſſerunt in & egeſtiones, aſt ſine moleſtia, neque tum excernebantur impura, quia nihil erat impurum: hinc ſingulæ hæ evacuationes in optimo conſiſtebant ordine & cum omnimoda ho-

minis ſuccedebant delectatione: Sed quam mutati ab illo nunc ſunt ſtatu miſeri homines, dum in naturali vita res jam ita ſunt conſtitutæ, ut quæ in priori ſtatu corporis durationem & confirmationem adjuvabant, illa nunc illius interitum promoveant & accelerent: interim divina clementia tale hiſce rebus diſpoſuit moderamen, ut quæ circumſtantiæ hominis corpori inimicæ eſſe poſſunt, eædem illius ſalutem promovere debeant: hujus aſſerti multa documenta & exempla produci poſſunt, ſed placet tantum pro neceſſaria illuſtratione & demonſtratione aliqua allegare: videlicet aëris uſus ad œconomiam vitalem haud eſt exiguus, quare præeunte *Hippocrate*, qui de *Aere*, *aquis*, *locis* & *Regionibus* tractavit, alii ſalubritatem & inſalubritatem aëris pro differentia anni, temporum, tempeſtatum & locorum inquiſiverunt & annotatunt: quod vero optimus cæteroquin aër ad reſolutionem & deſtructionem mixtionis corporis contribuat, probatu haud difficile eſt, quemadmodum aër quoad materialem ſuam ſubtilitatem & indeſinentem motum elaſticum ac inteſtinum facilius & uſitatius ad quorumlibet corporum mutationem in deterius, i. e. diſſolutionem, quam conſervationem diſponit. Ita aqueum principium multiplices in proceſſu vitæ animalis habet utilitates, quæ ipſa aqua vero viciſſim aptiſſimum & efficaciſſimum ad ſuſpectas fibrarum motricium relaxationes, nec non ad fermentativum & putrefactorium motum ſubminiſtrat inſtrumentum, quod unita & naturali vi cum aëre tanto citius perni-

perniciosos tales effectus causari potest & solet: Principium materiale sulphureum larga quantitate universis gelatinosis inest humoribus, nec non sanguinem ipsum constituere adjuvat, sed subinde ad pessimas corruptiones provocandas, inducendas & sustentandas idoneum est: Gelatinosa sanguinis consistentia ad regularem motum fluiditatis admodum est necessaria, sed quis non facile mente assequitur, quod eadem consistentia ad inferendas perniciosissimas stases in capillaribus vasculis sanguiferis valde sit apta, imo si totum corpus vasculosum & universalis anastomosis vera esset, etiam ex necessitate physico-mechanica tale periculosum accidens fieri debeat! Ipse celebris sanguinis circulus, sub reliquis suis utilitatibus inevitabili & indesinenti effectu sanguinis laudabilem mixtionem denuo destruere adjuvat: sic porro ingesta optimæ qualitatis tandem in pessima immutantur recrementa: vicissim motus intestinus, licet varia connexa teneat detrimenta, tamen subinde satis dignos usus affert: Bilis quoad palmariam suam relationem corpori vivo perquam est inimica, ut propterea constanter excernatur, tamen sub via & excretionis successu non exiguas præbet utilitates: ita excretionibus præcipue vita hominibus firmatur & confirmatur, sed ob multas excretiones iterum novæ ingestiones necessariæ sunt: enimvero quia ingesta non primam servant puritatem, sed facile præjudiciosam assumunt qualitatem, hinc congruæ in œconomia vitali requiruntur excretiones & hæ iterum convenientes in-

 ferunt

ferunt ingestiones i. e. destructarum laudabilium substantiarum novas reparationes: Cum præmissa meditatione quadantenus parallela alia convenit observatio, quando nonnulla media, certis qualitatibus prædita, modo corporis durationem promovent, modo vero vicissim invertunt: & quemadmodum in moralibus anima unam eandemque facultatem nunc ad bonum, alibi ad malum finem dirigere potest, ita in vitali functionum foro & choro simile quid a natura, licet non æque indiscriminatim quoad pravum effectum & eventum cum proæresi, committi solet: Ut ex multis unicum tantum specimen, præsenti considerationi conforme, proferamus, provocamus hoc loco ad ominosum illum Hæmorrhoidalem fluxum, qui jam laudatur ab his, mox culpatur ab illis, hinc generali ferme dicterio de eodem *Aëtius* rigorosum illud fert judicium *tetrabibl. 3. serm. 2. cap. 5.* quando eloquitur: *Hæmorrhoides deformitatem & vitam miseram inducunt:* neque multis testimoniis practicis destitutam esse artem Medicam res ipsa loquitur, quibus hujus fluxus perniciosus status & decursus confirmari posset, utut vicissim multa specimina Hæmorrhoidum salubritatem confirmant: hinc forte in foro Medico difficile & salebrosum esset negotium, selectum verum inutilium & perniciosarum Hæmorrhoidum scrutinium instituendi: non quidem jam illos audiendos esse existimamus, qui sine discrimine talem fluxum contemnunt & condemnant; interim & illi a via recti discedere nobis videntur, qui promiscue Hæmor-

morrhoides salutares esse debere, judicant: ob id triplex Hæmorrhoidum status judicioso Medico facile innotescit, primo, quando in quibusdam subjectis hæc Hæmorrhagiæ species variis signis & testimoniis suam salubritatem probat: hinc *Galenus in Libr. de Cur. per Sangv. Miss. advers. Erasistr. cap. 5.* dicit: quod *Hæmorrhoides hominem servent*, addita *3. de hum. & 6. de morb. vulg. com. 3.* ratione, *quia per illas supervacui expurgantur humores:* propterea illis tam singulares & fonticæ connexæ sunt qualitates, dum à quibusdam criticarum Hæmorrhoidum mentio occurrit *conf. Frommannus de Hæmorrhoidibus Part. 1. Problem. 2. p. 12. Franckenau Satyr. Med. p. 438. 439.* qui ad *Galenum* provocat *lib. 3. de cris. cap. ult.* ab aliis velut *Fonseca Consult. 27.* Hæmorrhoidum Endemiarum memoria producitur *vid. Frommannus l. c. probl. 37. p. 167.* ita *Schenckius* ubi de Hæmorrhoidibus agit, & *Solenander Lib. 4. cons. 20.* Hæmorrhoidum certis familiis usitatarum reminiscuntur: porro dantur Hæmorrhoides hæreditariæ *vid. Frommannus l. c. probl. 2. 38. & part. 2. probl. 4. p. 229. Franckenau dissert. de Hæmorrhoid. & in Satyr. Med. p. 456.* occurrunt etiam Menstruæ hæmorrhoides *vid. Frommannus Part. 1. probl. 25. p. 116. Franckenau l. c. p. 456. A. N. C. dec. jan. 2. obs. 192. an. 4. obs. 44. an. 10. obs. 134.* Deinde in quibusdam personis hæc aperta hæmorrhoidalis fluxus utilitas plane deficit, quare citatus *Frommannus Part. 1. probl. 48. p. 199.* de incommodis malefici Hæmorrhoidum status differit: Denique in aliquibus individuis Hæmorrhoides utiles quidem sunt, si succedunt,

dunt, & perniciosæ si deficiunt, attamen suo successu variis cum molestiis stipatæ: Quo itaque salubrium & insalubrium Hæmorrhoidum indoles magis inclarescat, (sicut illi nobis mediam & regiam viam tenere videntur, qui hanc differentiam probe advertunt *conf. Petræus in Nosol. Harm. diss. 32. §. 6. seq. Gabelchoverus Cent. 3. curat. 22. annot. p. 37.*) constituimus cum DEO peculiari Dissertatione Inaugurali de *Hæmorrhoidibus symptomaticis & perniciosis* agere; cui proposito ut gratia divina affulgeat, idque exoptato & prospero successu promoveat & allevet, est quod in ingressu nostri præsentis conatus humillime precamur.

§. I.

DOctrina de Hæmorrhoidibus ita *ampla* est, ut perpetuo aut notatu dignæ observationes de hoc sanguinis fluxu innotescant, aut *singulares* & speciales considerationes in disquisitione hujus Hæmorrhagiæ animum occupent, quare inpræsentiarum hoc thema de *Hæmorrhoidibus symptomaticis* & *perniciosis* perpendendum & explicandum selegimus: & quamvis *D. D. Præses* negotium Hæmorrhoidale, quoad *principales* respectus peculiari commendaverit studio & tractatu, tamen hanc doctrinam adhuc *nonnullis* argumentis illustrare & augere liberum imo etiam fructuosum erit: Ne itaque aliqui præcipiti minusve sobrio & prospero existiment judicio, quasi omnes motus *insoliti*, in *abdominis* intraneis æque ac extraneis regionibus & confiniis obtingentes, ad *Hæmorrhoidum* eruptionem tendant, aut quasi hic sanguineus fluxus, *promiscue* eveniens, etiam indiscriminatim *utilis* adeoque toleran-

lerandus & *promovendus* fit: etenim in hoc *delicato* & *intricato* negotio non raro gravis committitur error, quando *temerario* & cæco quodam aufu, fub fpe obtinendæ & reftituendæ *fanitatis*, promifcue & impetuofe Hæmorrhoides *impelluntur:* Quam incongruum nec ulla digna & folida excufatione defendendum effet conamen, quo quis in *fingulis* hominibus hæmorrhoidalem fluxum profequi vellet, quia hic in *nonnullis falubris* deprehenfus fuit, ita perinde fallax, nec *ulla fide* dignum effet judicium, quando *omnes* naturæ conatus *hæmorrhoidales* tanquam *utiles* & ipfo fuo fchemate ac fucceffu falutares declararentur, dum *erroneæ* naturæ actiones haud funt infrequentes: Quid quod in genere illa notatu digna obfervatio & differentia attendenda eft, quando *intrinfecus directo* quodam motu congeftorio, ad *hæmorrhoidalia* loca concentrato, & ita in relatione ad *fcopum effundendi* aut fimpliciter *fuperflui*, aut conjuncti *fpiffi* fanguinis *active*, hæc Hæmorrhagia perficitur, aut quando a nimia harum *viarum laxitate* & atonia, fanguis in hifce locis per extima vafculorum fanguiferorum oftiola *eructat*, adeoque in hoc fchemate ob nudam *continuitatis* læfionem *paffive* effluit; aut quando *natura* humana in *eximia* fuæ œconomiæ vitalis *perturbatione* varia etiam *afyla* aut refugia quærit & fub eminenti tandem *anomalia* hanc *fpecialem* evacuationem; five reliquo afflictionis ftatui confona & congrua fuerit, five minus, perficit, quæ vero fub prædictis qualitatibus *æque minus* aliquam opem, ac mediæ conditionis hæmorrhoidalis fluxus, affert. Et licet aliquando *primæ* deftinationes hæmorrhoidales ob multiplices refpectus *falubritati* alicui refpondere queant, tamen in *ulteriori* proceffu multifariæ viciffim *declinationes* occurrere poffunt; quæ totum hoc opus perquam *fufpectum* reddere poffunt, ut neque huic *impellendo*, neque *repellendo* medicus prudens curam adhibere,

re, sed ubique *caute* procedere debeat; hinc illi, qui hæmorrhoidale negotium non *exacte* perspectum habent, non temere *illotas* illi immisceant manus, neque Empiricorum more *immoderate* hunc fluxum *cogere*, aut *temere supprimere* cogitent: Quam ob rem in genere sciendum est, quod *non omnes* motus & fluxus hæmorrhoidales aut *salubres*, aut *insalubres* existant, ut & quod *salutaris* Hæmorrhoidum successus multum nitatur *opportunitate* temporis. Utut vero Hæmorrhoides, aut in *defectu*, aut in *excessu*, aut in *ordine* ac *modo* peccantes, facile *contrariam* suam indolem produnt, tamen adhuc *aliæ* qualitates *minus* prosperum illarum successum comitari solent, quas curatiori animo indagare convenit, ut ex *opposito* veritas in hac doctrina tanto magis elucescat: neque *perito* artifici incognitum esse potest, quod *coactus* talis fluxus multis subjectus sit & *molestiis* & plane *damnis*: inde est cur in multis *provinciis* ac locis haud singularia *encomia* de hæmorrhoidali negotio proferri queant: ita enim *Misniæ* incolæ & Alsatiæ inhabitatores a *vino* suo recenti, valde massam sanguinis *impellente*, *Silesii* ab abusu vini *Hungarici*, aut genuini aut artefacti, *Hungari* ab *immodica* & improvida sui *vini* ingestione, *Itali* a *vino* suo spirituosiori & frequenti orvietani usu, *Angli*, *Patavii*, *Hamburgenses*, *Francofurtenses* a copioso usu *Aloëticorum* remediorum, *Judæi* a liberali, *ceparum*, *allii* & porri comestione &c. valde *molestas* & *ominosas* hæmorrhoidales experiuntur afflictiones, quales *inimicas* qualitates Veteres Medici *Furentium* Hæmorrhoidum nomine denotarunt: Quibus ipsis in *genere* differentiam Hæmorrhoidum *genuinarum* & utilium, nec non *suspectarum* & *morbosarum* quadantenus indicare placuit.

§. II.

Generalis hæc consideratio quo magis inclarescat, proxime proponenda thematis præsentis explicatione

erit

erit illuſtranda: Agendum itaque erit de Hæmorrhoidibus *ſymptomaticis* & *pernicioſis*: haud vero neceſſarium eſſe judicamus, ut in *nominum* explicatione occupationem impendamus, cum vel paululum rerum medicarum gnaro, incognitum eſſe haud poſſit, quid *Hæmorrhoidum* & quid *Symptomatis* notio inferat ac denotet: quare potius indicamus, quod in *quibusdam* ſubjectis motus & fluxus *hæmorrhoidalis* ipſum *principalem* conſtituat affectum, quo natura interdum *directe* & proxime contendit: aliquando vero *aliis præcedentibus* morboſis afflictionibus, velut *ſymptoma ſupervenit*, eosque aut *mitigat*, aut *exacerbat* & deteriorat; quare *non omnes* Hæmorrhoides *ſymptomaticæ* ſunt *pernicioſæ*, hinc Hippocrates indicavit, quod eædem *inſaniam* tollant & experientia proinde comprobat, quod *aliquando* congruus fluxus hæmorrhoidalis *hypochondriacis*, *ſcorbuticis*, *ſpleneticis*, *hyſtericis* &c. proficuus exiſtat, id quod variis locis abunde monſtravit *D. D. Præſes in tract. de Hæmorrhoidibus*: Dantur vero etiam Hæmorrhoides, quæ non ſunt Symptomaticæ & tamen *exitioſæ*, licet etiam *non penitus* quædam *ſymptomaticæ* ab *omni* periculo & pernicie liberæ exiſtant: Proinde varii Medici univerſum negotium hæmorrhoidale pro *ſymptomate* aut *excretorum*, aut *actionis læſæ* habent; *conf. Franckenau diſſ. de Hæmorrhoidibus & in Satyr. Med. p. 438. n. 4. Walæus Med. Pract. cap. 18.* Interim neque incognita eſt multis medicis uſitata Hæmorrhoidum *differentia* inter *Criticas* & *Symptomaticas*, quas *priores* mirifice *extollunt* & commendant, *poſteriores* viciſſim acerrime *proſequuntur* & condemnant: Nos in hanc litem haud ingredi malumus, ſed pro præſenti inſtituto & officio generice quidem *ſymptomaticas* tales eructationes hæmorrhoidales annotabimus, ſeorſim vero & *principaliori* reſpectu *illas* Symptomaticas explicabimus, quæ ſimul aperte & evidenter ſunt *pernitioſæ*, præ-

terea etiam magis ad *fluxum*, quam ad *remotiorem* conatum, motum & *apparatum* hæmorrhoidalem animum advertemus; ſed dum non raro in recognitione *verorum* & genuinorum motuum & conatuum hæmorrhoidalium ingens committitur *error*, ob id nonnullas obſervationes & animadverſiones quoad hanc disquiſitionem inſerere placet; utut enim hypochondriaci in hæmorrhoides perquam inclinant, *vid. Frommannus Part. I. probl. 31. 32. Franckenau l. c. p. 431. 447.* quare *Riverius in Praxi* hæmorrhoidum apertionem in mali hypochondriaci cura laudat, tamen *non omnes ſpasmi* in hypochondriis *directum* molimen *hæmorrhoidale* conſtituunt, neque Hæmorrhoidum apertio *ſpontanea* diræ *Spasmorum* efficaciæ adſcribi poteſt, quoniam longe *facilius* in *intimiori* ſpasmorum ſede vaſcula *tenerrima* & membranæ tenues per *neceſſitatem phyſico-mechanicam* disrumpi & *dilacerari* deberent, quod *poſterius* tamen *haud* contigit, unde prior ratio ſua certitudine vacillat: exinde vero id colligimus, judicamus & indicamus, quod *non quælibet* ſenſationes *tenſoriæ Hæmorrhoidum* expulſionem concernant, quæ verius aliquando *ſtagnantis* ſanguinis *promotionem*, impactorum *ſcybalorum* translationem, *bilis* acrioris in inteſtinis fluctuantis profligationem, *flatuum* exonerationem & varia adhuc alia *adverſa* objecta attinent: neque *promiſcue* omnis *ardor* & *pruritus* in ano *hæmorrhoidales* prodit motus, ſiquidem ſcybala *bilioſa* aliaque *acriora* vias illas tali modo irritare poſſunt, uti ſimilis afflictio non raro in *infantibus* & *verminoſis* ſubjectis obſervatur, neque etiam ita promiſcue *tractiones* in *inferiori* dorſo & coccygis regione cum *hæmorrhoidali* apparatu *confundi* debent, licet *vera* & actualia molimina hæmorrhoidalia interdum etiam tales *ſpasmos* complectantur; interim homines *vagis arthriticis*, *nephriticisque* affectibus laborantes, neque ad *Hæmorrhoides* ſuſcipiendas diſpoſiti, *ſimilibus* vexantur ſpasmodi-

modicis molestiis ac sensationibus: ob id in agnoscendis *veris* conatibus hæmorrhoidalibus judicio opus est, ut omnes circumstantiæ ex *genuina* hæmorrhoidalis negotii historia attento animo concilientur, neque *obtorto* collo corradantur, *subjectorum* præcipue qualitates provide perpendantur & subinde caute *æquivoca* signa, quæ æque facile ad *alterius* morbi schema referri possunt, dijudicentur ad quem affectum eadem majori jure applicari debeant: caveant etiam circumspecti medici, ne *tenaci* animo *præsupponant*, aut vicissim *levi* judicio *præsumant* Hæmorrhoides, quasi hoc Schema tale negotium *hæmorrhoidale* esse debeat, quia hæmorrhoidaria subjecta *nonnulla* horum signorum etiam experiri solent: hisce itaque præmonitis ac præmissis facilior deinde patebit via ad æquius & verius judicium de *fructuosis* aut *perniciosis* Hæmorrhoidibus.

§. III.

Sed nunc ad *Symptomaticarum* Hæmorrhoidum *Historicam* commemorationem nos convertimus, inter quas *quædam*, *salutares*, aliæ vero *præjudiciosæ* imo aliquando plane *funestæ* existunt: Quare interdum hic fluxus in affectu *Hypochondriaco* perrumpit & quidem tunc cum *euphoria*, si hoc *mature* contingit & moderate procedit; hinc *Hœchstetterus obs. med. p. 570.* illum fluxum in *hypochondriacis* valde extollit; & quod hæmorrhoides reseratæ insignem dolorem dorsi in hypochondriaco curaverint testantur *Casp. Rejes. Camp. Elys. quæst. juc. qv. 73. p. 977. 980. Salmuth. Cent. 1. obs. 46. conf. tr. D. D. Præsidis* ubi de *Hæmorrhoidibus medicina mali hypochondriaci* disserit: *vid. Raymund. Joh. Fortis Consult. & respons. med. Cent. 3. cas. 1. p. 251. Tom. I & Tom. II. Cent. 3. cas. XI p. 328. dysphoriam* vicissim ille fluxus affert, si *tardius*, *impeditius*, *inordinatius*, *parcius* aut *ultra* modum *largius* eructat, si *nimis diu* durat, si nimis *frequenter* recurrit, aut si *simul* & *semel* restitat, si multos

affectus *spasmodicos* pedissequos habet, si *confuse* repetit, si cum suspecta *alvi strictura* alternat, si sub gravi *virium* dejectione erumpit & effluit, si simul sub prædictis circumstantiis *fœtidum* valde sanguinem eructavit, si tandem in hac affectione oritur, quando omnia symptomata ad *summum* devenere gradum, quando *perversæ* & confusæ medicationes adhibitæ, maxime quando multa *adstringentia* aut suspecta *narcotica* medicamina usurpata fuerant, quando jam contumax viscerum *induratio* occupavit, quando functiones *naturales* valde sunt *debilitatæ* &c. tunc facile tandem ob *incongruum* hunc symptomaticum fluxum in *deteriorem* conjicitur & præcipitatur statum tota reliqua morbosa afflictio, sicut *Franc. Hildesheim Spicileg. 2. de cap. morb. p. 242.* talem casum de *macie* corporis ex ejusmodi *fluxu copioso* symptomatico in affectu *Hypochondriaco* orta, profert. Porro Hæmorrhoides aliquando in *Scorbuto* symptomatice occurrere solent, de quibus *eadem* valet Censura, quæ modo in præcedente affectu fuit proposita: quando itaque Hæmorrhoides in illo scorbutico morbo, adhuc tamen *mitiori*, *libere* & *facile* erumpunt, simulque *moderate* procedunt, ut & *congruo* iterum tempore *modice repetunt*, *bonum* omnino afferunt auxilium; quare Hæmorrhoidum apertionem in Scorbuto commendat *Tim. a Guldenklee Lib. 3. cas. 34.* Quando vero nunc Scorbutus est *consummatus*, inveteratus, *multis* pathematibus accumulatus, variis & *discrepantibus* methodis & medicaminibus tractatus, ad summum ferme gradum *exacerbatus*, cum multa *virium* privatione stipatus, cum nobilium viscerum *induratione* complicatus, cum *tabida* corporis afflictione deterioratus, cum gravissimo *motuum* vitio aut defectivo aut excessivo depravatus, cum ordinariarum & necessariarum *evacuationum* pertinaci & diuturna *perturbatione* sustentatus, aut cum longinqua & tenaci Hæmorrhoidum *sup-*

pressione educatus &c. tunc *serius* tandem erumpens hic fluxus *perniciosus* eſt, quomodocunque ipſe conſtitutus fuerit: tanto certius & citius vero hanc *perniciem* introducet, quo *majoribus* ipſe accumulatus erit *anomalicis* qualitatibus. Et quoniam cum hypochondriaca, imo aliquando Scorbutica affectione *Melancholia* concurrit, ita plurimi Medici *hæmorrhoidalem* fluxum in hoc malo, vel *sponte* evenientem, vel *arte* legitime provocatum, perquam laudant, e quibus hoc loco *Hippocrat. Sect. 6. aph. 11. Galenum Comment. 6. Epid. 5.* ubi dicit: *Melancholiam per Hæmorrhoides levari conſpicuum eſt. Raym. Joh. Fortis Conſult. & reſponſ. Med. Tom. I. p. 283. & Tom. II. Cent. 3. caſ. 11. p. 328.* ut *& Ricardum Carr in Epiſtolis Medicis Epiſt. X. Frommannum Part. I. problem. 47. p. 197. & Part. II. probl. 36. p. 434.* allegare lubet: quemadmodum vero hic fluxus perinde in hoc affectu *ſymptomaticus* eſt, tamen & ipſe *inopportune* obtingens, eminentia ſua affert *damna*: quando enim *ſerius* erumpit, aut *difficilius* ſuccedit, aut *defective*, aut *exceſſive* procedit aut poſt primum ſucceſſum mox iterum tenaciter *ſubſiſtit*, aut quando pathemata non modo *accumulata*, ſed & *inveterata* & magno ac pertinaci gradu *adaucta* fuerunt, aut ſi ipſum delirium melancholicum jam in *acerbiorem* accrevit gradum, vel ſi jam *obſirmatæ* & periculoſæ viſcerum abdominis *indurationes* ſunt conjunctæ, ſi ſimul *vires* valde ſunt proſtratæ, totus vero affectus in *corruptum* & *confuſum* degeneravit ſtatum, tunc utplurimum *ſiniſtrum* exſerit effectum & prædictas morbi qualitates magis *auget*, quam minuit: quare exempla proſtant quibus hujus fluxus ſymptomatici noxa ſatis evidenter demonſtrari poteſt: dum non æque ſemper culpa in defectu, aut exceſſu, ſed potius in *inopportuno* ſucceſſu hæret; ſicut ita *omnium* auxiliorum *ſalubris* efficacia in *ordine* naturali *opportuna* & congrua obtinetur & promovetur ordinatione, ita experientiæ me-

dicæ

dicæ admodum adverſaretur, ſi *promiſcue* Hæmorrhoides in Melancholia encomiis exornarentur: ita *Gabelchoverus Cent.1. cur.65.* *minus ſalutaris* fluxus *hæmorrhoidalis* in *Melancholia* hypochondriaca mentionem facit: Quod hactenus de Symptomatico Hæmorrhoidum fluxu in Melancholia dictum fuit, id etiam valet de ejusdem eruptione in *Mania*, aliaque inſaniæ ſpecie; in quali amentia iterum haud *promiſcue* hæc ſanguinis profuſio tanquam *infallibilis* medicina celebrari poteſt.

§. IV.

Præter hactenus commemorata ſymptomaticarum Hæmorrhoidum *utilium* & *perniciosarum* ſpecimina adhuc multa alia obſervationi noſtræ ſe ſubjiciunt; & ita porro evenit, ut *Menſium ſuppreſſionem* & *morbos* inde ortos aliquando *ſymptomatica* ratione Hæmorrhoides excipiant, qualem *vicarium* fluxum multi medici ad *Hippocratis* imitationem non modo probant & commendant, ſed & ad *imitationem ſpontaneæ* hujus purgationis ſubſidiariæ in illis morboſis afflictionibus Hæmorrhoidum apertionem perquam laudant, ut *Zac. Luſitanus Prax. admir. lib.1. obſ. 28. Rolfinck. lib. 2. conſult. 8. Raym. Ioh. Fortis conſult. & reſponſ. Cent. 1. caſ. 100. p. 123. Cent. 1. caſ 22. p. 274. & Tom. II. Cent. 1. caſ 53. p. 87.* (in quo loco etiam author addit, in quibus caſibus non conveniat, ſub Menſium ſuppreſſione hæmorrhoides aperire) *Hieron. Fabricius Part. 1. c. 94. p. 358. 363.* ut multorum aliorum teſtimonium mentioni injiciendæ ſuperſedeamus: utut vero *aliquando* hæmorrhoidalis fluxus illa pathemata *avertit*, quæ a Menſium *ſuppreſſione* alioquin oriuntur, tamen non raro evenit, ut per *hunc vicarium* ſanguinis fluxum negotium *Menſtruum* in ſuo *anomalico* & deflectente ſtatu confirmetur, adeoque in inſolita loca nunc tranſeat, in quibus perinde non modo graves *moleſtias* faceſſit, ſed & aut *ſponte* aut *levi* ex cauſa in ſimilem *præjudicioſum* & morbo-

morbosum anomalicum statum delabitur: & quamvis in *aliquibus* fæminis hic symptomaticus fluxus sub reliquis connexis molestiis *aliqualem* opem afferat, tamen vicissim etiam contingit, ut in *aliis* casibus idem fluxus non modo *nihil* juvet, sed & potius *noceat*, quando videlicet illa eruptio hæmorrhoidalis cum adhibitis *calidis uterinis* & Menses revocantibus remediis, cum potentioribus alvum stimulantibus, cum diæta valde spirituosa & luxurioso vitæ genere, cum *clysteribus acrioribus, suppositoriis* inique stimulantibus &c. fuit provocata, aut quando eadem *tunc demum* contingit, si suppressio Mensium *tenacius obfirmata* & diutius continuata, si *morbida* abhinc pendentia pathemata jam *nimium* accumulata & *exacerbata*, si *multa perversa* medicamina usurpata & tota morbosæ afflictionis indoles *corrupta* sunt, in quo schemate, statu & gradu mali fluxus ille hæmorrhoidalis *serius* & *inordinatius* eveniens, potius *hecticos*, *tabidos*, *atrophicos*, *hydropicos*, *oedematosos* affectus, aut *contracturam*; diversarum partium *ariduram* & *paralyticam* afflictionem post se trahit, qualis eventus satis evidenter docet, quod *symptomaticæ* Hæmorrhoides in *præsenti* casu *aliquando* etiam *perniciosæ* existant: Quandoque porro accidit, ut in aliis *suspectis* moliminibus, aut actualibus eruptionibus *hæmorrhagicis*, velut *Hæmoptyicis* Hæmorrhoides *symptomatice* superveniant, quæ si *justo* tempore, modo & ordine consequuntur, omnino *utiles* existunt, ut propterea iterum nonnulli Practici Hæmorrhoidum apertionem in Hæmoptysi, utpote Medicinam, commendare haud vereantur velut aliquoties citatus *Fortis Consult. ac. respons. med. Tom. I. Cent. 2. cas. 28. p. 159.* & *Tom. II. Cent. 2. cas. 4. p. 166-168.* hinc vicissim aliquando Hæmorrhoidum *suppressio Hæmoptysin* causari solet, referentibus *Amato Lusitano. Cent. 2. cur. 13. & Cent. 5. cur. 3. & Actis Berolin. Decad. 1. Vol. 4. p. 50. Frommanno probl. 48. p. 204. 205. & Part. II.*

 probl. 3.

probl. 3. p. 224. quando vero vicissim negotium hæmorrhoidale cum Hæmoptysi hujusque moliminibus *nullum* plane *nexum* servat, tunc *symptomaticæ* in *hæmoptyicis* subjectis Hæmorrhoides majorem *anomaliam* afferunt, siquidem de *confusis* naturæ refugiis evidens testimonium perhibent, ut *aliæ* functiones, *vitæ* ac *sanitati* proficuæ, in *abdominis* organis per hæc molimina hæmorrhoidalia graviter *turbentur*, insuperque totum corpus tanto facilius morti subjiciatur: quod si porro priora illa hæmoptyica schemata *inveterata*, aut plane corrupta fuerint, tunc hæmorrhoidalis *tandem superveniens* fluxus, una cum ominosiori *virium* privatione *prævias* afflictiones plus *exacerbat*, irregulares *sanguinis* commotiones provocat & *hecticam* febrem invitat; *retardati* enim tales motus hæmorrhoidales *ultimis* naturæ *asylis* annumerari merentur, quando præcedens affectus in tantam degeneravit *ataxiam*, ut cum *incongruo* & *immoderato* processu *hæmorrhagico* præter necessitatem & subjecti conformitatem hæmorrhoides nunc, ast non sine eximio præjudicio urgeantur: sicut enim alias Hæmorrhagiæ *insolita* & *vicaria* talia persequuntur *refugia*, quæ tamen utplurimum magis *præjudiciosa*, si non sæpe plane *perniciosa*, quam fructuosa sunt, ita idem judicium de præsenti observatione practica valet: quid quod si affectus hæmoptyicus in tantam accrevit *vehementiam*, ut nunc afflicti patientes *tabido* statu correpti lectoque diutius detenti fuerint, *tunc demum* hic sanguinis fluxus *ultimis lethalibus* symptomatibus annumerari meretur, sub quo citius *reliquæ* vires *opprimuntur* & evanescunt, ut placida consequatur mors, qualis alias ægris & sanguine & viribus ad extremum exhaustis, familiaris esse solet.

§. V.

Quantam utilitatem *congrue* & *opportune* erumpentes & fluentes Hæmorrhoides in *Arthriticis* & *Podagricis*,

cis, nec non *Ischiadicis* & *Nephriticis* morbis afferant, multis thematibus & occasionibus ab *Illustri D. D. Stahlio & D. D. Præside*, consentiente & annuente multiplici Doctorum suffragio demonstratum fuit, adeo ut vel sola hæc observatio præcipue in *tractatu de Hæmorrhoidibus D. D. Præsidis* peculiari studio commendata prostet; hinc hæmorrhoidalis fluxus sub *peculiaribus* circumstantiis non modo a prædictis affectibus *præservat*, sed & insuper *varia* subjecta ab hisce doloribus *liberat*: haud tamen peritos & attentos medicos latet, quomodo sub *contrariis* circumstantiis in talibus affectibus *symptomatice* irruens motus & fluxus hæmorrhoidalis magis *nocivus*, quam salubris sit: id quod tanto certius evenit, quando sub hisce morbis remedia sanguinem valde *commoventia* & intestina *stimulantia*, nec non frequentiora *purgantia*, aut *aloetica* adhibita fuere: inde enim contingit, ut non modo *spasmodicæ* commotiones in *primas regiones* invitentur, sed & *sanguineæ congestiones* cum consequente *irregulari* sanguinis *eruptione* superveniant, quæ *ataxia* & *δυσκαιρία* prædictis affectibus valde *inimica* est: ex hoc phænomeno etiam contrasentientes, illi in solida ratione & experientia fundatæ sententiæ, quod *prædicti* affectus cum *hæmorrhoidali* negotio non exiguum habeant *nexum*, morose & acriter *obloquuntur* & renituntur: ubi distinctio *temporum* ipsius asserti *convenientiam* ac tenorem facile confirmabit: Unde ex ipsa Historia Practica affatim constat, quod Hæmorrhoides in talibus affectibus vel *serius* recurrentes, vel tardius *erumpentes* majus afferant *præjudicium*, unde illi morbi magis *intricati*, tenaces & cum sonticis internorum viscerum morbosis commotionibus *complicati* redduntur, quin tandem *contracturæ*, *aridurae*, *paralytodeæ* affectiones, imo *hydropicæ*, *cachecticæ*, *hecticæ* consecutiones & pro ætatis convenientia *marasmus* aliaque *confusa gravium* morborum

 exci-

excipiunt schemata, ex quorum consecutione facile judicare licet, quod in hisce morborum speciminibus symptomaticus Hæmorrhoidum fluxus aliquando proximius *perniciosum* efficaciam habeat: quid quod interdum idem fluxus, *inopportune* succedens, prædictos morbos reddit *insolentiores*, gradu vehementiores, bonis auxiliis magis *renitentes* & refractarios, subinde etiam frequentiores tales *recursus* invitat, & vel *ad fixam* & contumacem indolem illos disponit, qua unam alteramve partem affligunt, vel plane fugaces & vagos illos reddit; & tantum plane efficit, ut *periculosiores* morborum *complicationes* irruant: Hæ observationes, sicut tantum suis titulis indicatæ sunt, ita attentis Medicis quoad specialem applicationem & illustrationem incognitæ esse haud possunt, quare ob amplitudinem præsentis thematis, ipsa fundamenta allegasse suffecerit: Cum *Ictero* Hæmorrhoides nullam videntur habere cognationem, interim casus in praxi medica occurrunt, in quibus hic sanguinis fluxus in hoc affectu & *fructuosus* & *perniciosus* esse probari potest: ita *Bartholinus in Act. Hafn. Vol. 2. p. 138.* Hæmorrhoides icterum *solventes* allegat: quod enim à moliminibus hæmorrhoidalibus *imperfecte* succedentibus & cum *congestoriis* motibus ad hepar *retrocedentibus* icterus provocari queat & per rationem & observationem demonstrari potest: quod porro fluxus hæmorrhoidalis *tempestive* in tali affectu *recurrens* hepar eximie *ventilare* & debitam *bilis* secretionem & promotionem ad intestina adjuvare queat, perinde probatu facile est; sicut vero non *omnis* icterus a prædicta causa *oritur*, neque cum eadem aliqualem *affinitatem* habet, ita nihilominus *constricto* hepate, indeque pendente hoc morbo *regurgitatio* sanguinis *symptomatica*, uti in alias venæ portæ propagines, ita in *hæmorrhoidalem* ramum contingere potest ac solet, unde *confuso* modo Hæmor-

rhoides erumpunt, cum *primarii* affectus eximio *præjudicio* continuant, quid quod sæpe concurrente reliquo, ictericis patientibus familiari sanguinis *orgasmo* & coincidentibus *particularibus* & *irregularibus* symptomaticis congestionibus, *excessive* & majori damno effluunt: quando proinde icterus *diu* duravit, *vires* insuper valde sunt prostratæ, magna hepatis *obstipatio* increbuit, varia *confusa* pathemata concurrerunt, insuperque totum morbi schema ad *eximium* periculi statum devenit; imo jam *hecticodeus* affectus priori calamitoso & exacerbato morbi gradui supervenit, tunc tandem Hæmorrhoides *supervenientes* proxime instantem *lethalem* eventum communiter indicant, siquidem sub tali sanguinis profusione vires *exiguæ* residuæ *repente* concidunt & sub singulari totius affectus immutatione in eminentius *deteriorem* statum, vitæ finis acceleratur.

§. VI.

Hæc observatio, quæ Hæmorrhoides symptomaticas & perniciosas indicat, præter prædicta specimina adhuc varia alia complectitur, quibus recensendis porro operam dare lubet: In affectibus *Calculosis*, præcipue in *Renum calculo* interdum Hæmorrhoides, *symptomatice* licet, tamen non sine *emolumento* succedere solent, siquidem calculosus talis affectus non exiguam *affinitatem* cum hæmorrhoidali negotio babere solet, id quod multoties a *Celeb. D. D. Stahlio & D. D. Præside* demonstratum fuit: sicut vero *opportuna* Hæmorrhoidum apertio prædicto affectui *opem* aliquam promittit & affert, contra vero legitimarum hæmorrhoidum *suppressio* nephriticos, calculosos affectus *excitare* & provocatos graviter *exacerbare* potest ac solet, ita tamen non desunt testimonia, quibus *præjudiciosus* Hæmorrhoidum fluxus *symptomaticus* in calculo renali confirmari potest: at enim vero quando sub ipso *insolentiori* & indolentiori paroxysmo

calculoſo Hæmorrhoides aut *confuſe* & *difficulter* perrumpunt, aut *exceſſive* procedunt, aut *defective* ſuccedunt, tunc affectus calculoſus tanto magis *pervertitur*, exacerbatur, aut in *corruptum* plane ſtatum conjicitur: *tales* enim motuum hæmorrhoidalium qualitates invitant *colicam nephritico-hæmorrhoidalem*, ſuſpectas *congeſtiones* ſanguineas in abdomine, perverſos *motus* ſanguinis, internos *ardores*, commotiones irregulares *febriles*, affectus pedum *oedematoſos*, aut *phlegmonoideos*, concurrentes ominoſas *flatulentias*, *iſchuriam*, *dyſuriam*, ardorem urinæ aliaque *intricata diureſeos* vitia, *anguſtias*, extremorum ſuſpectum *rigorem*, *cordis* palpitationes, graves perturbationes *alvinæ* excretionis aliaque ſontica pathemata, ſicut *anomaliæ* hæmorrhoidales ſymptomaticæ in *calculoſis* affectibus admodum *frequentes* ſunt: quid quod plane evenit, ut *incongrua* hæmorrhoidalis purgatio, *tabem*, *hecticam*, *maraſmum* ſenilem & interdum *paralytoideos* affectus invitet: In *Veſicæ* calculo *adultiorum* præcipue ſubjectorum quandoque Hæmorrhoides ſymptomaticæ *congrue* erumpentes & fluentes prævium principalem morbum admodum *mitigant:* aſt *confuſe* irruentes & decurrentes eundem potius *exacerbant:* in *junioribus* vero omnibus iisque ſanguine *plenis*, vehementia *dolorum* graves *congeſtiones* ſanguinis ad *affecta* loca horumque confinia provocat; inde iterum interdum ſub concurſu *colicorum* dolorum, *teneſmi* moleſti, & *ardentium* ſenſationum in inteſtino recto & connexo ano hæmorrhoides *irregulari* plane modo eructant, quæ vero *præſens* morbi ſchema tanto magis *exaſperant* & corrumpunt, quales hæmorrhoidales proceſſus ſub tali rerum ſtatu facile & evidenter *perniciem* ſuam produnt, dum præcedentes *ſpaſmi inſolentiores* & contumaciores evadunt, dum porro graves *perturbationes* alvinæ & urinæ excretionis alternant, dum aliquando *convulſivi* motus conſequuntur,

quuntur, dum interdum *anomalæ* & valde fuſpectæ *febriles* commotiones ſuperveniunt, dum *tabes* & *hectica* nonnunquam huic tragœdiæ *lethalem* finem imponunt, dum antea concurrentes *grandulosarum* partium *obſtructiones* coincidunt, dum etiam pro convenientia *ætatis* & *temperamenti* præmaturus *hydropicus*, *hydropico-hecticus* & *atrophicus* ſtatus exinde oritur: & tanta lerna & caterva morborum cohæret cum *illegitimis* & *incongruis* hæmorrhoidalibus *motibus* & *fluxibus* ſymptomaticis in prædictis calculoſis morborum ſchematibus: Quodſi etiam quædam ſubjecta ex *hæreditate* motibus *hæmorrhoidalibus* prædita fuerint, qualis caſus minime infrequens eſt, tunc in *aliis* morbis, in quos eadem incidunt, qui cum *hæmorrhoidali* negotio *non* conſentiunt, attamen vel aliam *ſingularem ſanguinis* commotionem complectuntur, vel in *abdominis* viſceribus *ſedem* ſuam tenent, facile *ſymptomatica* illa molimina *hæmorrhoidalia* cum gravi reliquorum affectuum *præjudicio* & per morborum *complicationem* majori exacerbatione coincidunt; inde ſæpe *primarii* affectus *negligentius* a natura æſtimati & tractati, *implicationes* illas hæmorrhoidales ægerrime perferunt, per quas motus nunc in hoc ſtatu plus *confunduntur*, *materia* morbi *firmius* increbeſcit & cum multis *pravis* qualitatibus augeſcit & ita facile Hæmorrhoidum illarum ſymptomaticarum *pernicioſa* indoles inclareſcit; Sic de famigerato *Cordis Polypo* porro conſtat, quod interdum ab *oppreſſis* motibus & evacuationibus hæmorrhoidalibus ortum trahant, id quod fuſius *D. D. Præſes in diſp. de Polypo Cordis* demonſtravit, unde *tempeſtivus* Hæmorrhoidum recurſus, illud pernicioſum concrementum valde enervat, *infringit* & coercet; ſi vero jam tale malum in *magnos* valde gradus *accrevit*, tunc *ſerius* erumpentes ſymptomaticæ Hæmorrhoïdes, magis vires *enervant*, *turbulentas* ſanguinis commotiones alliciunt, irregularia *nova*

pathe-

pathemata in abdomine excitant, *alvi* excretionem & *diuresin* quoad legitimum suum successum perquam alterant & tot subinde modis Polypo illi tam eximium afferunt præjudicium, unde symptomaticus ille sanguinis fluxus minime pro salutari declarari potest.

§. VII.

In *Capitis doloribus* Hæmorrhoides *rite* evenientes, multorum medicorum suffragio adspirante, laudabilem afferunt *utilitatem*, imprimis quando illi cum negotio hoc hæmorrhoidali *aliqualem nexum* habent, quare *Salmuthus Cent. 1. obs. 73.* de talibus doloribus, ex obstructis hæmorrhoidibus ortis, testatur, quod eosdem hæmorrhoidum grumosus *fluxus* curaverit: ast quando tales Cephalalgiæ, jam in *Cephalæam* aut *chronicum* & *habitualem* degenerarunt statum, tunc hæmorrhoidalis fluxus non modo *nihil* juvaminis, sed & in *sensibilibus* & in varias animi ac corporis *anomalias* inclinantibus subjectis plus *damni* affert, præcipue si *primarius* ille capitis affectus cum *hæmorrhoidali* negotio vel *parum* vel *nihil* commercii tenuit: ex hoc enim *incongruo* fluxu evenit, ut caput magis *debilitetur*, temulenta gravitas & imbecillitas invitetur, *sensuum* internorum *residuus* vigor *enervetur*, reliquarum *virium* gradus admodum destruatur, *alia* symptomata cum *incongruo* hæmorrhoidali negotio conspirantia *alliciantur* & major *anomalia* provocetur. Cum *Epilepsia* aliisque *convulsivis* motibus negotium hæmorrhoidale *nihil* commercii habere *videtur*, interim ex *indole* Hæmorrhoidum innotescit, quod sub *turbato*, impedito & *anomalo* harum successu pro convenientia *subjectorum* & *circumstantiarum* non modo *spasmodici*, sed & *convulsivi* motus concurrere possint, imo etiam soleant, testimonio *Colicæ hæmorrhoidalis*, quæ communi sua indole enormiter *spasmodica*, sed interdum plane *convulsiva* redditur; quare authores medici Epilepsiæ ex *hy-*

pochon-

pochondriis notæ memoriam injiciunt, in qua viciſſim Hæmorrhoidum *apertionem* commendant, vid. *Fortis Conſult. & reſponſ. med. Tom. I. Cent. 1. caſ. 42. 45. p. 56. 59.* uti *Zac. Luſitanus Prax. admir. obſ. 28.* Epilepſiam, ex *ſuppreſſis* hæmorrhoidibus ortam, *hirudinibus* curatam allegat: præterquam *Rhodius Cent. 1. obſ. 65.* Hæmorrhoides utpote *Epilepſiæ remedium* commemorat: quando itaque in morbis *convulſivis*, cum hæmorrhoidalibus motibus *conſentientibus*, opportune & *tempeſtive* Hæmorrhoides fluunt & continuant, tunc *ſalutarem* hæ omnino uſum promittunt & afferunt: quando vero *contrariæ* circumſtantiæ & qualitates occurrunt, tunc in morbis convulſivis *ſymptomaticus* Hæmorrhoidum fluxus *aperte pernicioſus* exiſtit, quoniam ipſe in incongrua, *confuſa* & intempeſtiva, imo indoli morbi minime conformi excretione conſiſtit: quando itaque *omnis* hæmorrhoidalis eruptio *ſenſibilem* & ſingularem alterationem cauſatur, tunc in tam enormi & *arduo* convulſivo affectu *inopportuna* Hæmorrhoidum eructatio non niſi *peſſimum* effectum exſerere poteſt; inde enim contingit, ut dirus ille morbus convulſivus in *majorem* confuſionem & *corruptionem* delabatur, ut intranea viſcera truculentioribus pathematibus in ominoſiorem *conſenſum* rapiat, inde *repentini* affectus aut extreme ſuſpectæ *paralyſeos*, aut *contracturæ*, *ariduræ*, *Hecticæ*, aut pro ſubjectorum ratione *hydropici* ſchematis &c. conſequuntur, qui *pernicioſa* illa ſymptomatica Hæmorrhoidum eruptione nituntur: Quando porro moleſtum & ſuſpectum illum *Flatulentiæ* affectum perpendimus, quem cum *hypochondriaco* malo minime *confundendum* eſſe cenſemus, tunc in *diverſis* caſibus *ſymptomaticus* Hæmorrhoidum fluxus priori *proficuus* eſſe poteſt & ſolet, quando præcipue *ille* arduus affectus cum *impedito* ſanguinis progreſſu in *abdomine nexum* ſervat cœteroquin etiam *congruo* modo hæmorrhoides in

tali casu succedunt: & licet Flatulentia illa sæpe perinde *symptomatica* existere soleat, tamen in *quibusdam* subjectis aliquando *principem* velut morbum constituit, quem *concurrens* symptomatica morbosa *plethora* haud difficulter *sustentare* & augmentare assolet, ut pro circumstantiarum congrua ratione *temperata* hæmorrhoidalis ventilatio huic affectui æque in hac flatulentiæ specie, ac reliqua, quæ hypochondriacos, spleneticos, hepaticos, mesentericos affectus comitari solet, *fructuosa* existat: interim vicissim contrarii occurrunt casus, qui *symptomaticum* hæmorrhoidum fluxum in Flatulentia nonnulla *perniciosum* sistunt: quando enim hæc flatulentia neque cum *Hæmorrhoidibus*, neque cum *plenitudine* sanguinis & similibus connexis affectibus *consentit*, sed a cacochymia pituitosa, aut atonia viscerum, undecunque etiam orta, provenit, aut quando jam flatulentus ille affectus ab *alia* etiam caussa natus, *inveteratus* est, tunc vel *incongrue* erumpentes vel *serius* invadentes Hæmorrhoides tales symptomaticæ certius *priorem* affectum *exasperant* & non modo varia *nova* pathemata suspecta in *abdominis* regionem convocant, sed & præviam viscerum *debilitatem* magis augent, adeoque *sinistrum* suum effectum satis aperte probant; unde aliquoties flatulenta illa molestia *gradu* etiam *majori* increbescit, quemadmodum alias cum *regulari* & *legitimo* Hæmorrhoidum fluxu, facile *aliquales* flatulentæ sensationes concurrere solent: quod hactenus de relatione Hæmorrhoidum ad Flatulentiam dictum fuit, idem sub justa applicatione de Hæmorrhoidum noxa aut utilitate in Mesenterii morbis valet, sicut *Bartholinus Cent. 6. hist. 41.* salutarem hæmorrhoidum fluxum in obstructione Mesenterii commemorat.

§. VIII.

Nonnunquam contingit, ut cum *biliosa* adeoque acri *Diarrhœa* symptomaticum hæmorrhoidale profluvi-

um

um concurrat, quando partim *acrimonia* bilis mollem ac *teneram* internam *intestinorum* texturam *erodit*, partim quando ob acerbiorem talem *stimulum sanguis* copiosius ad intestina congeritur, insuperque *vascula* sanguifera *majori* sanguinis copia *opplentur*, partim denique ob *auctam* intestinorum commotinem facilius *ostiola* illorum vasorum *perrumpere* possunt æque ac solent, id quod æque in *talibus* locis obtingit, ubi hæmorrhoidalia vasa *interna* & *externa* intestini recti *texturæ* sunt inserta, unde iterum sub reliqua morbosarum causarum *complicatione* hæmorrhoidalis fluxus magis *passivus* ob simpliciorem videlicet vasorum *diæresin* coincidit, qui sub *continuante* sanguinis *congestione* ad intestina non modo *persistit*, sed & constanter *augescit*, proinde vero cum magno ægrotorum *præjudicio* ac pernicie decurrit; inde enim non modo vires brevi temporis spatio valde *minuuntur*, sed & *alii anomali* processus commiscentur, quando insuper plurima *connexa* primarum viarum organa in necessario suo *officio turbantur*, motus *alvi* excretionem *immoderatius* urgentes, ob sanguinis *confluxionem* in intestini recti cavitatem non modo in sua *vehementia* sustentantur, sed & *novis* iisque valde *anomalis stimulis*, velut graviori morbifico *supplemento* exacerbantur: Idem etiam sentiendum est, quando *Dysenteriæ albæ* sub multa tandem ægrotorum *enervatione*, hæmorrhoides *symptomatico* superveniunt fluxu, quæ certius & citius cum *funesto* desinunt eventu, quando ejusmodi patientes alioquin sanguine plurimum *exhausti*, nunc *passivum* talem fluxum experiuntur, quia vel a magna viscerum *atonia*, vel *lethali* interna partium affectarum *erosione* provenit, ut denique *reliquiæ* sanguinis ex hisce locis effluentes, simul minus spei, sed *plus perniciei* & citatum *funestum* exitum afferant: In *Ischuria* Hæmorrhoides *tempestive* erumpentes aut redeuntes, quando cum illa *aliquam consanguinitatem* habent, mul-

 tum

tum *levaminis* promittunt, hinc ſæpe citatus *Fortis Tom. I. Cent. 4. caſ. 5. p. 376.* in Urinæ difficultate Hæmorrhoidum apertionem *ex hoc* etiam argumento celebrat, quoniam *venarum ſedalium apertio renibus affectis magnopere prodeſſe ſolet;* quando vero prædictus affectus cum Hæmorrhoidali negotio *nullam* plane cognationem habet, aut quando Hæmorrhoides in tali affectu *ſerius* erumpunt & *anomalice* procedunt, tunc viciſſim *ſymptomatico* hoc ſuo decurſu certiorem *perniciem*, quam aliqualem opem provocant: An in *Febribus* hæmorrhoidalis fluxus quicquam *emolumenti* promittere queat, vix facile apparet, ni ex Hæmorrhoidum *oppreſſione* febres quædam *ortum* traxerint: hinc *Fortis tr. de Febribus caſu de Febre chronica p. 45.* Hæmorrhoidum *reſerationem* in febre continua, ex hæmorrhoidum *ſuppreſſione* nata, commendat: idem author hanc Hæmorrhoidum revocationem in *quartana* laudat, quando hæc ab Hæmorrhoidum repreſſione originem duxit *loc. cit.* caſ. *de quartana legitima p. 55.* talem quartanæ *ortum* ab *Hæmorrhoidibus* impeditis probat *Solenander Conſil. 20. Sect. 4. p. 373.* ad finem, ſub qua febre patiens *ſerius* & fruſtra tentata hæmorrhoidum *reſtitutione* a natura, occubuit: hinc *Sennertus Prax. lib. 3.* ubi de *intermittentibus* agit febribus ſuo confirmat teſtimonio, quod aliquando tales febres Hæmorrhoidum fluxu *ſolvantur*: inde etiam obſervatores occaſionem nacti ſunt de *criſi* febrili per *Hæmorrhoides* diſſerere: aſt quamvis *ſalubritas* ſymptomatici fluxus hæmorrhoidalis in Febribus *rarioribus* exemplis probari queat, tamen non deſunt *alia* etiam ſuffragia, quibus *perniciofus* hic fluxus *ſymptomaticus* in *Febribus* annotari poteſt: quare *Frommannus de Hæmorrhoidibus Part. 1. probl. 5. p. 19.* dicit: *nos diſtinguimus inter fluxum ſymptomaticum & criticum: illum excretionibus præter naturam annumerandum eſſe dicimus ratione temporis, ſi mox in acutorum morborum principio,*

pio, nullis præcedentibus signis concoctionis proveniat, tum ratione materiæ vitiosæ, sine decumbentis levamine promanantis: quodsi itaque evenerit, ut in febribus *acutis inconsveto* plane modo Hæmorrhoides eructent, *perniciosum* omnino est: si in febribus continuis *præter necessitatem* Hæmorrhoides obtingant, *malum* est: si in febribus acutis circa *illa tempora*, quibus plane *aliæ* evacuationes, febris indoli *magis congruæ*, succedere deberent, hæmorrhoides erumpant, *nocivum* est: si in continuis Hæmorrhoides ex nuda *consuetudine*, adeoque hoc tempore *inopportune* & præter necessitatem fluant, *perniciosum* est: si porro in continuis aut initiantibus *anomalice* erumpant Hæmerrhoides, aut *exeuntibus* illis tandem effluant, ubique aut perniciosum aut præjudiciosum est, & præter suspectam morbi *confusionem*, & *virium* prostrationem aliquando ominiosam *lentam* febrem, & tumores *œdematosos* cum *corrupta* morbi metamorphosi post se trahunt: si vero in *intermittentibus* hic fluxus extra omnem *nexum* & *opportunum* tempus evenerit, tunc potius febrem illam aut *contumaciorem* reddit, aut *lentam* febrem pedissequam invitat, siquidem per hunc fluxum, ejusque prædictam qualitatem partes affectæ magis *enervantur*, aut alia *incongrua* motuum schemata excitantur: Et ita placuit concinna manuductione demonstrare, quod omnino symptomaticus Hæmorrhoidum fluxus in *Febribus* perniciosus esse soleat: quæ consideratio variis observationibus illustrari posset; quem laborem vero *peritis* medicis, horumque calculo, ac *suffragio* relinquimus.

§. IX.

Varia hactenus specimina *perniciosarum* Hæmorrhoidum *symptomaticarum* tradidimus, sed illis exemplis tantum thematis nostri veritatem probare voluimus, interim adhuc pauca illorum, brevi tamen commendatione, *addere* lubet: Et ita Hæmorrhoides *salutares*, quando *sup-*

primuntur, varios arduos post se trahunt *morbos*, qui *brevi* temporis spatio ad *eximios* adscendunt gradus; hæc suppressio quando *diutius* duravit, insuperque morbi, qui *consecuti* fuerant, in *refractariam* tandem degenerarunt indolem, tantam faciem afflictionis causatur, ut *serius* tandem erumpens Hæmorrhoidum fluxus, qui utplurimum cum magnis *complicatus* est *anomaliis*, non modo *nil levaminis* conciliet, sed & gravia *damna* inferat, qualem parallelum casum *Rolfincius Dissert. anatom. Lib. 5. c. 20.* commemorat: exinde liquet, quod *symptomaticus* Hæmorrhoidum fluxus etiam in *illis* affectibus aliquoties, utpote *perniciosus*, observetur, qui a *perturbatis* Hæmorrhoidibus ortum traxerunt, quando videlicet ille *recursus inopportune* & *serius* obtingit: frustra itaque illi, qui *salubritati* negotii hæmorrhoidalis *absoluta* declaratione male cupiunt, aut illam nonnisi infrequentem & *fortuitam* esse admittunt, ex ejusmodi casibus minus placidum & benignum suum judicium *confirmare* volunt; quoniam *sinister* motuum hæmorrhoidalium successus a *reliquo* processu ac decursu perite & *judiciose discernendus* est: quemadmodum vicissim multis observationibus *salutaris* Hæmorrhoidum *reditus* in prædictis affectibus demonstrari potest, quando ille *tempestive* & *legitime* contigit: *Qualescunque* porro morbi quenquam invaserunt, subinde etiam *diu* durarunt, si præter omnem expectationem & extra ullum congruum *nexum* Hæmorrhoides tandem *symptomatice* erumpunt, tunc communiter *perniciosæ*, nec ullo modo fructuosæ esse solent, siquidem in tali statu aut plane *passive* illæ elabuntur, aut *turbato* ordine & per modum *confusi* cujusdam *refugii* ingrediuntur & progrediuntur, propterea que prædictos affectus magis *exacerbant*, aut in *corruptum* statum præcipitant: Idem etiam seorsim de Hæmorrhoidibus symptomaticis in *Hydrope* interdum obviis sentiendum est: Quod ab Hæmor-

morrhoidum *suppressione* aut *perversa*, aut imminuta aut excessiva fluxione Hydrops *ortum* trahere soleat, vix ulli medicorum incognitum esse potest aut debet: quod etiam *tempestivus* Hæmorrhoidum recursus in *initiante* Hydrope, qui ab Hæmorrhoidum *anomalico* statu ortus, *periculosiora* diri hujus morbi accrementa *intercipiat* & aliquando angvem in herba jugulet, perinde *attentis* practicis incognitum esse haud potest: quod vero præterea in Hydrope *consummato*, & ubi *vires* jam plurimum sunt exhaustæ, *tandem* aliquando *Hæmorrhoides* erumpant, quæ vel *antea nunquam* fluxerunt, aut *diu* subtiterunt, æque in praxi medica satis superque cognitum est: *tales* autem symptomaticæ Hæmorrhoides communiter *funestis* annumerandæ sunt signis, quippe quæ *brevi* consequentem mortem denotant, quemadmodum sub illarum successu non modo *residuæ* vires penitus vacillant, sed & concurrens *hecticus* status *extreme* perniciosam alterationem assumit: In *Hectica* proinde jam *confirmata* & *consummata*, aliquando symptomatico modo Hæmorrhoides erumpunt, sive affectus prior cum negotio hæmorrhoidali *cohæreat*, sive minus: quandocunque itaque Hæmorrhoides sub *acerbiori* Hecticæ gradu occurrunt, tunc communiter *perniciosæ* sunt, imo *lethale* signum constituunt, quoniam *inopportuna* hæc sanguinis profusio proxime *vires* perexiguas depauperat, adeoque *funestum* eventum accelerat; id quod tanto citius contingit, quo *liberalius* Hæmorrhoides fluunt: evenit etiam interdum in hoc affectu, ut cum *Diarrhœa colliquativa* hic hæmorrhoidalis fluxus *alternet*, aut coincidat, quando a plenaria viscerum *atonia* hæc suspecta sanguinis *elapsio* provenit: neque etiam *serotinus* Hæmorrhoidum fluxus & reditus *ullum Hecticæ* levamen affert, quamvis antea hic affectus ab illarum *turbato* processu originem traxerit: Quemadmodum enim omnis Hæmor-

rhagia, etiamsi *salutari* scopo respondeat, quando *nunc* succedit, *aliqualem alterationem* & enervationem infert, ita in *Hecticis* ægrotis præter *sensibilem* enervationem, quam hæmorrhoidalis fluxus causatur, non modo *primariæ* morbi causæ *nihil* ille adjumenti conciliat, sed potius *reliquos* necessarios motuum & effectuum vitalium successus graviter *perturbat*: Quid quod illud adhuc ab hoc Hæmorrhoidum fluxu provenit, ut, quando Hectica nondum ad *summum* pertigit gradum, sed in *medio* ferme constituta est, tunc potius ab eodem citatiora & perniciosiora *accrementa* huic Hecticæ inde superveniant, siquidem iterum *vires* magis enervantur, *contabescentia* increbescit, *nova* ominosa symptomata concurrunt, *ordinariæ* evacuationes plus *turbantur*, *confusæ* commotiones *congestoriæ* & *febriles* conjunguntur, aliaque specialiora *nociva* incommoda *complicantur*: quare hic symptomaticus Hæmorrhoidum fluxus prædicto modo Hecticæ evidentem perniciem struit.

§. X.

Tandem adhuc prædictis considerationibus Practicis annumeramus illum casum, quando in *Gravidis* symptomatica talia *molimina* & *profluvia* hæmorrhoidalia occurrunt, quæ in subjectis valde *plethoricis* & *calidioris* temperamenti *justo* suo processu *haud* levem opem promittunt & afferunt, sicut in *A. N. C.* historia commemoratur de gravida quæ Hæmorrhoidibus & Mensibus laboravit. *dec. 1. an. 6. obs. 63.* quare *Walæus in Meth. med.* annotante *Frommanno l. c. Parte II. probl. 36. p. 430. seq.* curatiori studio *uteri* consensum cum *hæmorrhoidalibus* venis commendat, insuperque asserit, quod fieri possit, ut vasa uteri sint *obstructa* & uterus gravidus, tunc certe ad vasorum *hæmorrhoidalium* apertionem transeundum esse judicat: proinde *Zacut. Lusitanus in Praxi admir. Lib. 2. obs. 28.* historiam allegat de Gravida ex hæmorrhoi-

dum

dum consuetarum *suppressione* in *Epilepsiam* delapsa, sed *hirudinum* applicatione ad loca hæmorrhoidalia *curata*, ut feliciter pepererit: Non desunt tamen exempla, quibus *præjudiciosus* & perniciosus *hæmorrhoidalis* concursus *symptomaticus* in *Gravidis* demonstrari potest, quando videlicet tales fœminæ *nullam* proclivitatem ad *spontaneam salutarem* commotionem hæmorrhoidalem continent, sed quando potius *coactæ* & *passivæ irregulares* regurgitationes & *stagnationes* loca hæmorrhoidalia corripiunt, unde non modo graves *dolores* conjunguntur, sed & evacuatio *alvina* valde turbatur, aliique *anomali* motus invitantur, ut *fortius* fluentibus, *hoc modo* apertis, Hæmorrhoidibus metus *Abortus* immineat, quoniam *legitimus* motus sanguinis & eminus alteratur & cominus ad valde suspectos effectus & successus proritatur, id quod facilius in fœminis *sensibilioribus* & concurrentibus *gravioribus* doloribus contingit: Quando porro in *quibusvis* valde *enervatis* ægrotis, aut qui ex motuum *defectivo* vitio aliquandiu decumbunt, velut *paralyticis*, diuturnis *asthmaticis* humorosis, catarrhalibus *suffocativis*, *pareticis* morbis, *contracturis*, *ariduris*, diuturna *vertigine*, *sensuum* internorum & externorum longinquiori *debilitate*, aut *polypo cordis* chronico *serius* aut citra ullum *nexum* fluxus hæmorrhoidalis symptomaticus *erumpit*, tunc certiorem hic perniciem affert, dum perexiguas virium reliquias subito consumit, adeoque mortem *accelerat*, quemadmodum etiam observare licuit, quod *post mortem* adhuc aliquando *Hæmorrhoides* fluere continuent, hocque ipso effectu *passivum* suum statum exprimant & significent: imo in *quibusdam* talibus ægris accidit, ut pluribus ante obitum diebus *suspectæ* tales Hæmorrhoides compareant, quæ deinde *usque* ad *obitum* continuant, siquidem *nullæ* amplius vires ad illarum *retentionem*, sed potius eximii *atoniæ* mortiferæ gradus adsunt: de *omi-*

noso hæmorhoidali fluxu sub infectione *venerea* testimonium perhibent *Act. Berolin. Decad. I. vol. 5. p. 35.* Singulis hisce morborum schematibus denique sociamus *Marasmum*, undecunque ille originem traxit, in quo jam *confirmato* Hæmorrhoides *symptomaticæ* effluentes non modo in ipso toto processu, aut *modo*, sed & *motu*, *mensura* &c. peccant: quemadmodum etiam in hoc affectu vel *mitius* emicantes illæ Hæmorrhoides plus *metus*, minus vero spei continent; siquidem cum tali *insolita* & ad indolem morbi *nihil* conferente mutatione totius *reliqui* morbi status *deterioratur*, maxime vero *vires* magis exhauriuntur & confusus *hecticus* concursus invitatur, acceleratur aut exacerbatur, ut sub hoc symptomate animam emittant: Et in hac *Historica* præsentis thematis explicatione nunc acquiescimus, posteaquam *multis testimoniis* probavimus, quod omnino Hæmorrhoides *quædam* symptomaticæ omninosæ & *perniciosæ* esse soleant, ut propterea *nulla ratio* suadeat *promiscue* motui & fluxui hæmorrhoidali indulgere, patrocinari, nedum quidem alliciendo & *urgendo* operam impendere, quoniam *nullum* naturale auxilium *absolute* & *indiscriminatim* fructuosum existit, sed quodvis tale sub certa *relatione* utilitatem suam promittit & comprobat. Quam ob rem hæc consideratio *judiciosos* & *conscientiosos* medicos valde *attentos* & circumspectos reddere potest & debet, ne *salubritas* negotii Hæmorrhoidalis *ultra* suam sphæram *extendatur;* id quod hactenus allegata specimina sufficienter probant.

§. XI.

Brevibus adhuc in historica præsentis thematis explicatione annotabimus, qualia *specialia signa antecedentia, concomitantia* & *consequentia* ejusmodi *perniciosæ* Hæmorrhoides *symptomaticæ* complectantur: *antequam* itaque tales omninosæ erumpant Hæmorrhoides, ægrotantes

tes interdum insolitam *ebullitionem* sanguinis persentiscunt, concurrunt graviores functionum *vitalium*, *naturalium* & *animalium alterationes*, utplurimum etiam *imminutiones*, nec non *virium* evidentiores prostrationes, insolitæ *sensationes* in abdominis regione, *alvi* præcipue ac *urinæ* suspectæ mutationes, *stillicidia* Urinæ, aut *involuntariæ* mictiones, si non nonnunquam suspectæ urinæ *retentiones*, inconsuetæ *angustationes* præcordiales, *extremorum* refrigerationes, abdominis *intumescentiæ*, inusitatæ *flatulentiæ*, aut interdum sensatio interni suspecti *ardoris*, cum ominosa *siticulositate* concurrente: *coincidunt* gravativæ pressiones in *intestino recto* & *coxendicum* regione, quandoque *femorum* & *surarum* insolitæ *dolorosæ* afflictiones, aut perceptiones *frigidæ* ac *ponderosæ* gravitatis, die Füsse düncken ihnen so kalt und schwehr zu seyn, quæ pathemata plurima cum fluxu hæmorrhoidali *continuant*, sed subinde vel augescunt, vel inseparabilem & *extreme* suspectam virium jacturam in consensum ducunt, hinc reliquæ corporis regiones *obrigescunt*, *frigescunt* & impallescunt; inde *contabescentia* subito magis conspicua evadit, perturbantur *oculi*, *manus* concipiunt suspectas rimas & foveolas intra metacarpi regionem, digiti *acuminantur*, ungues *livescunt*, oculi *concidunt* intra suas orbitas, *tempora* collabuntur, nares & mentum *acuminantur* & facies *Hippocraticæ* similis redditur, *cor* debilius, levius, mollius, tardius & inæqualius pulsat & sub tali valde suspecto rerum statu brevi patientes *exspirant*, quando vero hunc ominosum fluxum *perdurant*, hicque iterum *remittit*, tunc *extrema* virium prostratio consequitur, excipit *insensibilitas* in abdomine, venter valde *flaccessit* aut concidit, aut *retrahitur*, excrementa interdum *involuntarie* excidunt, ad minimum in *exitu ani* gravativa molestia percipitur, aut insequitur *procidentia* ani cum summo *dolore*, aut excipiunt summe suspectæ *protuberantiæ* in

ano & *fissuræ*, vel expirat *sensus* & *motus* in pedibus & femoribus, ut hæ partes jam *emori* videantur & dicantur, aut excipiunt insoliti *tumores* & *stagnationes* humorum in hisce partibus, aut subitanea *aridura* inferiorem corporis regionem occupat, aut etiam insolentior & turbulentior *hecticus* status consequitur, aut ægri in toto corpore quoad plurimum gradum *insensiles* deprehenduntur, aut de *extremo virium* defectu conqueruntur, aut totum corpus *plumbea* ut ajunt gravitate oppressum percipiunt, aut suspecti conatus cum imperfectis *tenesmis* conjuncti ad desidendum urgent, aut ominosa alvi *retentione* detinentur, aut extreme perniciosa *corruptio* ulcerosa vel sphacelosa in locis hæmorrhoidalibus oritur, aut alia specialissima & pro moborum discrepantia & indole variantia symptomata consequuntur; ex qua ipsa signorum *multitudine*, *gravitate* & turbulenta qualitate facile patescit, quantum periculum in ejusmodi hæmorrhoidalibus eruptionibus nunc hæreat & quam *sinistri* successus illa præsagia sint, quæ ex hoc fluxu *salubritatem* quandam promittunt, quo ipso judicio *indiscretam* suam quidam produnt æstimationem & cognitionem negotii hæmorrhoidalis, quando videlicet illud aut sanitatem promittit & tuetur, aut perniciem affert atque accelerat: quippe quæ consideratio jam sufficienter tam ad historicam *diagnosticam*, quam *prognosticam* hujus thematis commendationem & notitiam contribuit, quemadmodum reliquas meditationes & observationes, huc pertinentes, attentis & exercitatis ingeniis committimus, probe gnari, quod variæ *specialiores* annotationes cum præsenti deductione combinari possent.

§. XII.

Ast paucis porro fundamenta *causalis* sive rationalis & *Pathologicæ* disquisitionis, ad hoc thema spectantia, indicabimus: *Triplici* itaque modo Hæmorrhoides cum

evidenti *sanitatis præjudicio* & symptomatice quidem erumpere possunt ac solent: *primo* quando *Natura* ipsa ita *dirigente* in *arduis* quibusdam morbis motus hæmorrhoidales velut *incongruum* & *inopportunum* refugium suscipiuntur & continuantur: *deinde* quando citra *scopum præfixum* & destinatum ad fluxum hæmorrhoidalem, adeoque *extra* omnem *nexum* aliæ *immoderatæ* congestiones sanguineæ ad *confinia* locorum hæmorrhoidalium diriguntur & *immoderato* gradu urgentur: *denique* quando ob eminentem partium *atoniam* hæc hæmorrhoidalis *elapsio* & effusio contingit: qui *ultimus* modus motuum vitalium *defectu* nititur, quando *priores irregularem* motuum vitalium successum complectuntur: Quod itaque *Primum* modum attinet, tunc *duplex* iterum consideratio annotanda erit, in quantum *hæmorrhoidalis* fluxus cum *præsentibus* morbis evidentem quendam *nexum* habet, aut in quantum cum iisdem plane *non cohæret:* etenim quando morbi quidam a *difficili* successu necessariæ & *salutaris* purgationis *hæmorrhoidalis* aut a plenaria ejusdem *suppressione* vel *imminutione* vel *inordinato* successu oriuntur, tunc *tempestiva* Hæmorrhoidum *restitutio* sæpe salubritatem suam confirmat, quando vero illi morbi jam *confirmati*, consummati, depravati, in *pertinacem* habitum conversi, cum aliis *suspectis* morbosis pathematibus *complicati*, aut qualicunque modo *corrupti* sunt, tunc *serius* natura Hæmorrhoides effundens, non modo *præsentem* morborum gradum *haud levat*, sed & præsentes *anomalos* motus magis *turbat*, *nova* cum hæmorrhoidali negotio convenientia *pathemata complicat* adeoque *inopportuno* hoc actu & ausu affectus *pathemata complicat* adeoque *inopportuno* hoc actu & ausu affectus *præsentes exasperat:* quare in tali statu Hæmorrhoides aut *ægrius* succedunt, aut *immoderatius* continuant, aut *anomalicis* motibus decurrunt & tot *præjudiciosis* qualitatibus, prævios & *obvios* morbos certius *dete-*

riorant: neque in tali casu *abundantis* forte sanguinis depletio *tanti* est æstimanda, quoniam *reliquæ complicatæ* morbosæ affectiones & vitiosæ commotiones *huic* alterationi haud *obtemperant* : tanto majorem attentionem hæc pathologica meditatio meretur, quando in quibusdam morbis *intricata* & *inveterata motuum* vitia præsto sunt, quæ, licet primum a *turbatis* Hæmorrhoidum motibus ortum traxerint, & *tempestivo* illarum reditu, antequam in talem ominosam qualitatem delapsæ fuere, *mitigari* potuerint, imo etiam satis sæpe mitigatæ *fuerint*, tamen *serotino* huic recursui *minime* obtemperant, sed hujus occasione *immoderatiores* & insolentiores evadunt: qualis *parallelismus* æque in *moralibus* negotiis attentis animis facile inclarescit; unde patescit quid *opportuna* subsidia emolumenti, *inopportuna* vero detrimenti afferant; siquidem omnia auxilia *congruo* data tempore juvant: cur vero *serius* aliquando demum natura Hæmorrhoides *instituat* aut *restituat*, variæ nominari possunt *remotiores* causæ, interim hoc loco *illam* tantum pensitationi commendare placet, quomodo quasi *vi* & *audentiori* motuum augmento hæc eruptio urgeatur, quæ *antehac* mitiori & *placabiliori* motuum gradu, sub varia alia morbosorum pathematum distractione observata & tractata fuerat, quæ *immoderata* augmenta prævio *intricato* morbi statu non nisi eximie *præjudiciosa* esse & evadere possunt: Interdum etiam contingit, ut in valde *arduis* quorundam morborum circumstantiis & afflictionibus, natura humana variis moliminibus & successibus excretoriis *refugia* quærat, & velut ad *incitas* redacta *huc illuc* confugiat, adeoque interdum diversis *Hæmorrhagiarum* speciebus urgenti præsenti calamitati consulere nitatur: neque quidem huic dogmati illi stomachari debent, qui nihil rectum esse putant, nisi quod ipsorum moribus & doctrinis nude physicis, chymicis,

mecha-

mechanicis, humoristicis &c. convenire videtur & citra ullam rationem, alias ſobrias demonſtrationes ex nuda vana authoritatis larva, quaſi ex tripode, ſteriles, erroneas & inutiles diffamant, denigrant & ogganiunt: ſiquidem hæc *communis* animæ humanæ eſt indoles, ut in *magnis anguſtiis quaquaverſum* opem inquirat, ſive jam auſus & conatus *magis* aut *minus, generice* aut *ſpecifice* conveniant, ſive plane *nullum nexum* cum priori calamitate habere videantur: interea ſub *prædictis* iterum qualitatibus commotæ & continuatæ Hæmorrhoides rariſſime *fortuitam* velut ſalubritatem afferre poſſunt, ſed *ut plurimum* certam & evidentem *perniciem* cauſari ſolent, dum in *reliquarum* humanarum actionum ſerie, *vagabundi, deſperati, inordinati* & *immoderati* auſus per ſe nunquam *ſalutarem* decurſum promittunt.

§. XIII.

Conſiderationem porro *alter* reſpectus *Pathologicus* meretur, quando in *nonnullis* affectibus a præcedentibus *congeſtoriis* commotionibus in *viciniam* hæmorrhoidalium locorum directis, minime vero cum *legitimo* Hæmorrhoidum negotio *cohærentibus*, eruptiones illæ hæmorrhoidales proveniunt: hic reſpectus iterum *duplici* modo commendandus eſt, quando videlicet ob *alias* plane cauſas, velut ob præſentem *calculum* renalem, aut veſicæ urinariæ, vel ob *diarrhœam, vermes, bilioſam* acrem ſaburram in inteſtinis &c. ejusmodi *congeſtiones* cum *immoderato* gradu ſuſcipiuntur, inſuperque fibræ valde ſtringuntur & *tenſione* valida afficiuntur, tunc aliquando ob *vaſorum* ſanguiferorum & partium *nexum* ſanguis *copioſius* ad *hæmorrhoidalia* confluit vaſa, quæ nunc *oppleta* & *tumefacta* ſuperveniente *colica* inteſtinorum ſtrictura *dilacerantur*, unde ſanguis *ex accidenti* effluit & *primarios* ſcopos in morbis aliquibus, interdum cum Hæmorrhoidibus *directe* non conſentientibus, ma-

gis suo fluxu *inutili*, *inopportuno*, minus necessario & inordinato *turbat*, quid quod *nova* motuum schemata aut novas naturæ *seductiones* provocat sub quibus *principales* morbi *minus* regulariter diriguntur adeoque *incongruæ* finium *complicationes* convocantur & in eminens sanitatis *damnum* instituuntur: Deinde, quod *alterum* est, hæ congestiones in *confiniis* regionum hæmorrhoidalium arduam sanguinis *stagnationem* causari possunt & solent, aut si quædam partes cum motu sanguinis hæmorrhoidali *refluo consentientes* constringuntur, tunc *restagnat* aut regurgitat sanguis, modo plane *hydraulico* ad & *intra* loca hæmorrhoidalia; inde vero oboriens major, *inturgefactio* vasorum sanguiferorum perinde ad aperturam illorum *accidentalem* aut symptomaticam contribuere assolet, quæ licet *præsentem* quidem stagnationem ventilet & *evacuet*, tamen ad firmiorem, *pertinaciorem* & magis præjudiciosam *spasmodicam* aliarum partium stricturam disponit, sicque præcedens morbi schema valde *corruptum* reddit: proinde *fortuitæ* tales & sub tam *anomalis* motibus evenientes sanguinis *eruptiones* raro fructuosæ, *usitatius* tamen perniciosæ existunt, dum *præter* naturæ scopum, intentionem & usum plane *novam* faciem præsenti morbo induunt, siquidem ad *Cratonis* monitum *in Consf. med. p. 510. n. 4. seq.* Hæmorrhoidum apertio *non nisi in illis* morbis convenit, qui cum *hæmorrhoidali* negotio *cohærent*: quantæ enim inde *alterationes* oriantur, quæ negotia *naturæ* in morbis concernunt, quæ motus semel *anomalos* magis *corrumpunt*, quæ *primariam* morbi causam valde offendunt, quæ motum fluidorum & solidorum *turbant*, quæ *organorum* functiones magis pervertunt &c. facile demonstrari posset, ni exercitatorum ingeniorum peculiari & propriæ meditationi quædam sint relinquenda. *Tertius* denique respectus æque attentam meretur annotationem, quando ob

præ-

præsentem *Atoniam* Hæmorrhoides symptomatice erumpunt; hæc Atonia ex una parte, *generalis* esse potest, ex altera vero *specialis*: *Priorem* quod attinet, tunc in morbis, qui vel ratione *originis*, *aliquam*, vel plane *nullam* connexionem cum *hæmorrhoidali* negotio habent, *inveteratis* & consummatis, in quibus *plurimæ* nunc vires sunt exhaustæ, evenit, ut *relaxato* intestinorum tono (ob quem ob *extremam* virium jacturam non raro *scybala involuntario* elabuntur) sanguis *vasa* sanguifera, per *intestinorum* texturam perreptantia, *ægrius ingrediatur* & per illa difficilius & *tardius progrediatur*, siquidem alias *refluo* suo motu, adeoque *adscendendo*, tanto magis in Venæ Portæ systemate *operosius* & *impeditius* progredi solet, quamobrem tandem *fibrarum laxitate* & mollitie concurrente sanguis aut in *locis* hæmorrhoidalibus *stagnans*, aut ægrius *procedens*, *eructat* & *passiva* ratione *elabitur*, quia vis ita dicta fibrarum *motrix*, illius *legitimum* progressum adjuvare *haud* potest: *Specialiori* vero modo contingit, ut *obstructa* abdominis viscera, quæ quoad *progressivum* sanguinis motum cum *motu* & loco *hæmorrhoidali* consentiunt, tam fonticam & perpetuam *redundantiam* sanguinis *intra hæc loca* hæmorrhoidalia caussentur, & tandem hisce ominosa inducatur *Atonia*, qua præsente denique sanguis, *copiosius* jam in hisce locis collectus, eructat, iterumque, *passivum* talem hæmorrhoidalem fluxum constituit, qui vero *confuso* modo provocatus neque prædictam viscerum obstructionem *referat*, neque alio facile modo *relevat*, sed *confusas* motuum & pathematum *complicationes*, cum majori virium amissione, conciliat: Hos respectus placuit in *Pathologica* præsentis thematis explicatione commendare, qui tamen ultra *promissa* fundamenta non latius sunt *extendendi*, ob id reliquam *specialiorem* disquisitionem aliis relinquimus.

 §. XIV.

§. XIV.

Ex hisce facile inclarescet, quid de diverso symptomatico Hæmorrhoidum statu sentiendum sit: antequam tamen præsentem meditationem abrumpamus, paucis adhuc & pro coronide nonnullas *Practicas* annotationes annectemus, quomodo videlicet prudens & peritus medicus cum *perniciosis* symptomaticis Hæmorrhoidibus procedere debeat: Nunquam itaque *suspectas* tales Hæmorrhoides *imminentes* commovere & *impellere* convenit: propterea omnia sanguinem valde *commoventia* aut *alvum* irritantia in tali casu omittere decet: neque tamen talem fluxum *simul* & *semel cohibere* licet, ni imminens periculum acceleretur: & licet secundum *Sylvii* monitum *Prax. Med. Lib. I. cap. 13.* & *Frommannum part. poster. problem. 3. p. 225.* symptomaticus Hæmorrhoidum fluxus non sit tolerandus, tamen *simultanea* illius repressio vehementer perniciosa est, proptereaque malum malo augere non artificis est officium: nocent etiam *communia anodyna*, quæ cum reliquo *statu* illorum *morborum*, in quibus tales Hæmorrhoides obtingunt, valde *pugnant*: excludantur remedia positive *refrigerantia*, quæ tanto magis labascentem *motum* & *sensum* vitalem offendunt: evitentur aliarum *ordinariarum* excretionum perturbationes: exulat multiplex *variatio* cum medendi *methodo* & *medicamentis*; proinde etiam *multitudo* remediorum in hoc casu officit: ominosa insuper est virium *negligentior* refectio, aut positiva illarum *enervatio*: seponantur porro remedia vias *urinarias sensibilius* stimulantia, & subinde *hæmorrhoidales* commotiones excitantia: neque sub tali tragœdia *experimentis* dubiis locus patet: omnia *concentrata*, *spirituosa*, valde *Salina*, *Sulphurata*, *acria*, *resinosa*, subtiliora sub quocunque titulo in hac afflictione locum haud inveniunt, quid quod *curatoriæ* sanguinis subtractiones utplurimum sinistrum sortiuntur effectum;

Qua-

Quapropter *positive* præsente aut imminente suspecto tali fluxu hæmorrhoidali confert temperata *antispasmodica* ordinare, secura & lenia papaveracea, cinnabarina, Nitrosa, Spirit. Nitr. dulc. oleum vitrioli dulc. extract. flor. chamomill. offic. parcissima quantitas extracti castorei liquidi, providus Croci orient. usus, lumbric. terrestr. hyacinth. præp. spec. de hyacinth. confect. de hyacinth. julepus gemmatus: huc porro pertinent teneriora *Absorbentia* & secura *tonica* Lap. 69. citrat. Magister. Corallior. M. P. C. C. ust. succin. alb. ppt. Mastix, Ceruss. antimon. bolus albus, Tinct. corall. cum Ess. succin. & Spirit. Nitr. dulc. mixta. Ess. Mastich. Succin. flor. chamomill. Chaccarill. Tinct. corall. Spirit. Nitr. dulc. aut temperata Tinctura Martis cum prædictis Essentiis congrue mixta, aut aquæ destillatæ cordiales & tonicæ cum ejusmodi Essentiis sociatæ: præcipue vero conferantur *Lenientia* interna, gelatinosa, lacticinia, emulsiva, nec non nervina cum tonicis & mitius diaphoreticis conjungenda, quo spectant aquæ flor. Sambuc. Tiliæ, acac. Ceras. nigr. primul. ver. Galeg. Scabios. C. b. Cinnamom. s. v. Millefol. Naph. lil. convall. meliss. menth. mixta cum Essent. carminativis, Tinct. tonicis, Confectione cordiali, syr. aut alio remedio antispasmodico & tantillo Spiritus volatilis. Præterea convenit Essentia dulcis cum Tinctura tonica mixta: huc spectant pilulæ ex extract. chamomill. cent. min. gent. rubr. millefol. chaccar. pulvere mastich. & succini no. vj. ne mole majori enervata viscera aggraventur: alternetur cum modica quantitate decocti herb. millefol. flor. papav. rhæad. chamomill. offic. C. C. raspat. avena excort. cort. citr. recent. &c. proinde etiam assidua & solicita cura diætetica roborantia temperata ordinentur, lacticinia, pulpamenta amygdalata, gelatinæ lenissime acidulatæ, ova sorbilia, oryza, decocta gallinacea modice aromatisata & similia; reliquus præterea rerum succes-

 sus

ſus & eventus Deo committatur: Quod denique *reliquas ſymptomaticas* Hæmorrhoides attinet, quæ *non* ſunt *perniciosæ*, tunc illæ æque *prudentem* & *peritum* artificem poſtulant, qui negotii hæmorrhoidalis *bene* ſit gnarus, alias facile illarum ſtatus adeo depravari poteſt, ut perinde perniciosum ſortiantur eventum: præſtat itaque illas in leni & *moderato ſucceſſu* ſervare, omnia præjudiciosa *obſtacula* declinare, concurrentem *morbum* leni ac placida methodo tractare, *nunquam* vero illas Hæmorrhoides *poſitive* aut *impellere* aut *repellere*, *exceſſum* tamen imminentem *præſervare* & congrue *refrænare*, *vires* neceſſarias conſervare, *immodicas* commotiones *mitigare* & tali modo ſalutarem illarum decurſum expectare: Sed ſuffecerint etiam hæc fundamenta, ne limites Diſſertationis tranſcendamus. Obſignamus itaque præſentem noſtrum conatum, ſub devotiſſima divini auxilii veneratione, pio illo voto, ut verus & unicus ſalutis fons hunc laborem ſua gratia tueatur & proſequatur, quo ex præſenti meditatione multi fructus in artem Medicam redundent, omnes vero perniciosæ conſecutiones procul maneant, & in omnibus ingenuis imitationibus & applicationibus ad voluntatem DEI & ſincera hominum vota ſaluberrimus obtineatur

F I N I S.

